

ANNORUM
TATIONES.

... medicae
...
...

994
A
80





48 52



DISPUTATIO PHYSICA
DE FORTV-
NA ET FATO.

*Christo Duce & Auspice Christo
Publico Philosophantium con-
sessori proposita,
Præside,*

M. ERASMO ZOLNERO
Ratisbonensi,
Respondente
CASPARO FABRO,
Delitiano.

*Ad diem 30. Aprilis horis à sexta matutinis
in auditorio majori.*



VVITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.
ANNO M. DC. VIIH.



in Typis Vindob. Vind. Dominici M. Faidia



Reverendo & Clarissimo Viro,
DN. FRIDERICO BAL=
DVINO S. S. THEOL. DOCT. ET
Academiae VVitteb. Professori, nec
non Ecclesiae ejusdem Pastor. &
Superint. Digniss.

Spectabili ac Clariss. Viro,
DN. M. ERASMO SCHMIDT,
Ibidem Graecae linguae Professori celeberr.
& Facultatis Philos. pro tempore
Decano,

UT ET
AMPLISSIMIS, PRUDENTISSI=
mis, Eruditionis experientiaq; laude Praestantiss. viris,
Dominis Consulibus ceterisq; senatoribus totius
laudatissima Reipub. Delitiana.

NEC NON

Reverendo quae eruditione quaq; virtute conspicuo viro,
DN. M. ABRAHAMO SUARINO,
Ecclesiae Delitanae & Vicinarum Superinten=
denti dignissimo.

*Dominis Mecenatibus, promotoribus
ac fautoribus aeternum
honorandis.*

*Haec sui studij Philosophici primitias
dicat, offert & consecrat.*

Casparus Faber Respondens



ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

N Il crebrius tum olim tum nostrâ etiam etate in ore habent homines, adeo quidem, ut si cui quippiam præter intentionem accidat, fortuna factum esse vociferetur, siq̃ iterum quid memoratu dignum plerunq̃ eveniat, fato fieri dicat, paucissimi tamen eorum, quid fortuna fatumve sit, sciunt. Haud igitur abs re nos facturos existimamus, si pleniorẽ & planiorẽ eius dicere-
tur in disputationis proscenium proferamus. Et si enim, ut acutissimus Scaliger Exerc. 307. s. 3. inquit; harum indagatio subtilitatum non est utilis ad machinas farinarias conficiendas, exiit tamen animum inscitie rubigine, acutitq̃ ad alia. Totum igitur hoc negocium sequentibus hisce duobus problematis includemus.

PROBLEMA PRIMUM.

An & quid sit fortuna & casus?

Fortunæ vocabulum in initio ponderare convenientissimum est, cum teste Scaligero Exerc. 1. s. 1. à vocis usu sæpenumero provehamur in ipsam rei cognitionem. Est igitur fortuna græci τύχη denominata, vocabulum, uti Grammatici appellare solent, μέσθον in utramvis tam bonam quam malam partem flexibile & ita est nihil aliud quam rerum quæ accidunt, subitus atque inopinatus eventus. Ad ipsam iam questionem rectè accedimus, & quia gemina est, prioris explicationem merito præmittimus, & ut sensus questionis magis patefiat, queritur an sit fortuna? id est, an dentur in rebus humanis eius modi subiti atq̃ inopinati eventus? Hic statim in vestibulo sese contraria offerunt sententiæ; una eorum qui tempore Alberti ut ipse 2. Phys. c. 10. scribit, è medio prorsus tollebant fortunam & casum, nec id sine rationibus validissimis, uti quidem existimabant, statuere videri volebant, ex quibus unicam tantum hanc in medium proferemus, quam velut scutam gorgoneum sui adversarijs perpetuo obijciebant, reliquis in ipsum disputationis cursum reiectis, ubi haud dubie in medium proponentur. Sic igitur argumentaris Sophista, qui omnia necessariò fieri somnias: Quodcumq̃ fidei nostræ orthodoxæ è diametro repugnat, illud è medio tollendum. Talis est fortuna. E. Minorem probas ita, quia fortuna adversatur providentiæ divinæ; quæ enim à Deo simul prævisa & determinata sunt, ea non casu temerè aut fortuito evenire manifestissimum est; iam verò negari mehercle nequit, omnia hæc

inferiora quot quot in hac sublunari sphaera inveniuntur, subiacere providentiae divinae, contrarium asserere velle non hominis sed bruti est. Stante ergo providentia divina, stare nequit fortuna. Hinc August. lib. 1. Retract. se ipsum arguit quod aliquando vocabulo fortunae usus fuerit. Altera sententia est apud veros accuratosque Philosophos ex magni Praeceptoris ambulacris illis, in quibus divina exercentur ingenia, deprompta uti Scaliger loquitur Exerc. 188. f. 1. Is enim divinus noster Praeceptor 2. Phys. c. 5. disertè fortunam esse, darique in rebus humanis eventus fortuitos ibidem contendit. Si enim fortuita dicuntur ea, quae praeter cognitionem agentisque eveniunt intentionem, quis quæso tam caecus est qui non videat multa esse eiusmodi in rebus humanis? quomodo, quæso, homo omnia poterit animo providere quae possunt contingere? an non prudentissimi quique interdum necesse habent dicere, non putavi? Interim tamen illud & hoc loco notandum venit, fortuita in his potissimum locum habere, in quibus aliquid imprudentiae deprehenditur, secundum quam minus praevident quae futura sunt. Hinc summus ille sapientiae Dictator. lib. 2. Phys. cap. 5. t. 55. inquit fortunam esse quiddam à ratione alienum, cum ratio in his versetur, quae sunt semper aut plerunque, fortuna autem in his quae praeter haec sunt: & lib. 2. mag. moral. cap. 8. ibi minus esse fortunae ubi plus est intellectus. Et Cicero 1. Acad. quaest. ignoratio causarum fortunae nomen nobis peperit. Ut igitur Adversarie tuae satisfaciamus argumento, quod primo intuitu speciosum esse videtur, sequens hoc fundamentum initio praesupponimus, nimirum respectu Dei Opt. Max. nihil fortuito evenire posse: cum enim is omnium sit praescius, sit ut ipsi ipsiusque actioni quae cum omnibus causis particularibus concurrat, nihil sit fortuitum; quod idem elegantissime expressit B. August. lib. 3. de Trinit. c. 4. inquiens: Nihil in ista totius creatura amplissima quadam immensaque Republica est, quod non de interiore atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur aut permittatur. Hoc ergo sic praesupposito, respondemus nos fortunam non respectu Dei ponere, sed agentium particularium respectu, quia effectus assimilatur causa particulari & proxima, & ab ea suam denominationem accipit. Tantum de priori huius problematis questione, sequitur posterior.

Quod Iuvenalis olim cecinit satyra 10.

Nullum numen abest si sit prudentia, sed te
Nos facimus fortuna Deam caeloque locamus.

Id

Id apud priscos Romanos, gnaros magnum momentum, imò summam in rebus humanis vim esse penes fortunam, erat asitatisimum. Hinc varia in fortuna honorem templa edificabant, sicuti præter Livium etiam Plutarchus author omnium gravissimus, gravissimè testatur. Is enim in suis Moralibus de fortuna Romanorum inquit: Fortune templa apud Romanos fuisse splendida & antiqua, ac tantum non cum primis Romæ fundamentis posita. Hinc Ancus Martius quartus à Romulo Rex Romanorum primum fortuna virili templum dedicavit. Post muliebris fortune templum ante Camillum Romani fecerunt, quo tempore Marcum Coriolanum Volscos adversus urbem adducentem mulierum operâ averterunt, cumq; dedicaretur, ferunt simulachrum fortune hanc vocem emisisse: piè me ó matrone cives lege urbis dedicavisti. O Satanicas $\mu\eta\pi\lambda\omicron\tau\epsilon\chi\upsilon\varsigma$ istius versutias, quibus misellos istos homunculos in idololatriâ confirmavit. Alia duo templa fortune, primigeniæ scilicet & obsequentis posuit Servius Tullius Rex Romanorum Plutarchi eloquio fortissimus & prudentissimus in Capitolio. Fuerunt insuper & alia duo fortune templa eodem in loco privata scilicet & viscosa, ut & alibi benesperantis, blanda, dubia, mala & detestata fortune fana extracta fuere. Hinc tot sacra totidemq; solemnia in ejusmodi fanis peracta si quid prosperè egissent, de quibus dicere vetat brevitas. Varia itidem erat fortune pictura. Cebes enim Philosophus reliquiq; Veteres fortunam cæcam effinxere, furenti similem, volubili saxo pendentem, annuentes, nihil eam cum judicio sed omnia temerè administrare. Alij ad denotandam fortune potentiam, statuam ejus faciebant capite polum, alterâ manu cornucopiæ quasi dominam gerentem. Secundum Albertum 2. Phys. super t. 42. erat simulachrum quoddam in rotâ, cæcum, unâ parte album, alterâ nigrum & c. Sed anne soli Romani adeò idololatrici fuere, & num ignis iste superstitionis unâ cum iisdem est extinctus? Optandum quidem hoc esset; Verum quod fieri solet, ut extinctâ flammâ carbones etiam molesti sint, quamq; opinionem, imprimis erroneam, animus humanus semel concepit, eandem tam firmiter retinet, ut vix, ac ne vix quidem etiamsi erroris convictus, illam sibi patiatur eripi. Insanam hanc mortalium de fortuna opinionem Plinius festivè admodum deridet lib. 2. c. 7. Invenit, inquit, sibi ipsa mortalitatis numen, quo minus etiam plana esset de Deo conjectatio. Toto quippe mundo & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium vocibus fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur & cum convitijs colitur: volubilis à plerisq; etiam cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum faulrix. Huic omnia expensa, omnia feruntur accepta: & in totâ ratione mortalium sola utramq; paginam facit, adeoq; obnoxia sumus sortis, ut fors ipsa pro Deo sit, quâ Deus probatur in-

certus. Hæc Plinius. Inquies, exprobrat hæc esse à Plinio sui tantum seculi
hominibus, ethnicis scilicet, non nobis Christianis, quippe qui meliorem Dei
cognitionem habemus, gentilemque illam $\pi\omicron\lambda\upsilon\delta\epsilon\iota\omicron\upsilon$ ex animo adversamur.
Utinam mi homo, ultimam nobis hoc non possit exprobrari, sed, proh dolor, ex-
perientia pleno gutture reclamat. Hæc etenim opinio apud vulgus etiam no-
stram, quod certè dolendum, ita invaluit, ut licet ore directè confiteri pro-
pter religionem scilicet non ausint, semper tamen existiment, fortunam esse re-
vera numen quoddam hæc inferiora pro suo nutu & arbitrata regens. Hinc
crebriores etiam fortune invocationes, laudationes & vituperia audiuntur.
Quid igitur faciendum ais, aut quomodo de fortuna statuendum? Statue de
illa iuxta tenorem partim sinceræ nostræ religionis, quæ omnino nos ab aliorum
Deorum cultu prohibet, quocumque etiam nomine venerint, & soli vero Deo
trino in sacris literis patefacto, non verò ignoto alicui idolo, quale fortunam
fingunt, honorem debitum tribue, & sicubi tibi quicquam boni vel mali conti-
gerit, non dicito, Hæc voluit fortuna, sed potius cum B. Augustino; Hoc Deus
voluit: partim sanioris Philosophiæ, & rectè statuis. Sic autem definit Phi-
losophorum aquila Aristoteles fortunam 2. Phys. c. 5. t. 52. Fortuna est causa
per accidens in ijs quæ operantur ob aliquem finem ex electione, neque semper
neque ut plurimum. Causam initio nominat Philosophus fortunam, non ta-
lem qualis est materia, aut forma, aut etiam finis; sed ad efficientem refertur.
65. Deinde dicitur causa per accidens, ubi notandum duplicem esse causam per
accidens unam ex parte cause, alteram ex parte effectus: in priori genere cau-
se per accidens est diversa à causa per se. effectus verò utriusque est idem. Nam
ut exemplo rem declaremus, quando Musicus ædificat domum, dantur hic due
cause diverse, una per se, scilicet ædificator, altera per accidens scilicet Musi-
cus, effectus verò idem domus nimirum. In posteriori verò causa utraq; ea-
dem res est, effectus verò diversi, ut Medicus per accidens sanans Musicum per
se agrotum. Posterioris huius generis fortuna dicitur esse causa per accidens.
Nam ydem Piscatores Milesij piscantes, sunt causa per se illius piscationis, &
causa per accidens, quæ fortuna dicitur, aurei tripodis inventi, quatenus illi
non extractum tripodem sed piscatum exhibant. Dicitur porro ob aliquem fi-
nem, non quod effectus fortuitus sit intentus ab agente, sed quia coniunctus est
cum alio effectus per se intento ab agente, ut quando quis agrum fodiens
invenit thesaurum, eius intentio non est, thesaurum ut inveniat, sed ut fo-
diendo agrum fertiliorem faciat. Tandem, quod dicitur, neque sem-
per neque ut plurimum, innuitur fortunam esse raro contingens quoddam.
Non enim omnibus datur adire Corinthum, ac non multi Agricola rusticando,
aut Piscatores piscando thesauros inveniunt. Ad extremum quia etiam
mentio

mentio casus fit, paucissimis & ὅτι ἐν τῷ αἰσθητῷ videndum quid casus sit, & quomodo à fortuna differat. Est igitur casus causa per accidens eorum qua citra electionem suscipiuntur, locumq; propriè non habet in actionibus humanis ut fortuna, sed in actionibus merè naturalibus, uti hoc ipsum uberius declarat Philosophus 2. Phys. t. 60. & 61. Discrimen inter hæc duo casum nempe & fortunam ponit ipse Aristoteles t. 58 casum scilicet latius patere ipsa fortuna, cum, quod à fortuna est, casu sit, quod verò casu, non omne à fortuna, interdum tamen sit ut confundantur & pro uno eodemque summantur.

PROBLEMA POSTERIVS.

An & quid sit Fatum?

Fati naturam, rei scilicet intricatissimæ, & nisi rectè caveamus, in monstrosa & periculosa opinionum præcipitia nos abducentis, explicaturis, cautè admodum in hoc negotio est procedendum. Quo commodius igitur cautiusq; controversiam hanc pertractemus, sequentia hæc diligenter animadvertere necesse erit, primo nimirum ut fati etymon quidq; fati nomine vulgò intelligatur, investigemus: deinde an detur eiusmodi fatum sive fatalis necessitas: porro unde oriatur necessitas eiusmodi fatalis: præterea quanam fato potissimum sint exposita: adhæc quatenus in schola Christiana ferendum: tandem quatenus fati vocabulo Philosophis Christianis sit utendum. De singulis breviter.

Primum igitur, fati scilicet ἐτυμολογίαν quod attinet. Græcis fatum dicitur ἐιμαρμένῃ ἀπὸ τοῦ μέγεθος, à distribuendo sortiendove, vel τερμαίνον ἀπὸ τοῦ τέρματις, à terminando; Latini fatū à fando deducunt, eo quod voluntatem divinam nobis eloquatur. Fati vocabulum varijs varia significavit: Interdum enim moxente Iohanne Pico Mirandula, lib. 4. contra Astrologos c. 4. & Domino Philippo Melanchthone lib. 2. Phys. significat decretum divinum de re quam gubernat voluntas Dei ut proxima causa & non causa secunda, ut quando dicimus Israelitas in mari rubro servatos fato fuisse, Pharaonem verò & Principes Egypti cum populo, fato, id est, voluntate Dei perisse; sic rectè & pie pœnas scelerum dicimus fatales, id est, decretas à Deo, secus verò & impiè, imò blasphemè, scelera & flagitia Diabolorū & hominum fato fieri dicuntur, cum non solum sacris literis maximè contrarium sit, sed ethnici etiam agnoverint, homines ἀνταίρετα τῶν ματῶν ἢ σφύσιν ἀτακτοῦσι ὑπὲρ μόρον ἀλγεα ἐχόν. Interdum significat seriem causarum naturalium & copulationē stellarum cū temperamentis & inclinationibus, hoc Fatum multis alijs Astrologicū dicitur, Philippus verò Physicū appellat.

Interdum

Interdum fatum nihil aliud est quam ordo causarum naturalium, sic in hac significatione fato dicitur equus equum, homo hominem generare. Hoc fatum Aristotelis esse Alexander Aphrodisaeus vult, & si rem probe perpendamus, patebit fatum & naturam Aristoteli idem significare. Hoc notandum fatum in hac significatione non misceri actionibus voluntarijs, cum hominis voluntas libera sit, inibiq; multa contingentia fieri in confesso sit.

Inde igitur colligi potest, fati nomine plerunq; notari quandam necessitatem.

Alterum ergo quod attinet, questionem nimirum an detur fatum seu ejusmodi necessitas? Discrepantes iterum de hac questione sunt sententiae. Epicurus enim, ut Pererius testatur lib. 4. Phys. cap. 4. nec ingenij magnitudine, nec doctrinae praestantia, nec splendore virtutum, nec ullius rei quae laudem aliquam meretur, excellentiam, sed sola mortalium ad peiora semper ruentium vanitate quadam & insaniam in Philosophiam clarus & illustris habitus, uti omnia ab initio ex atomis confluisse voluit, ita deinceps, fati necessitatem ut effugeret, inferiora haec caeco quodam impetu regi, omniaq; fortuito evenire contendit, quo, quid absurdius aut magis in Deum omnium rerum gubernatorem, blasphemum dici possit haud video, nec opus ut in ipsius ineptijs refutandis nobile tempus perdamus. Altera sententia per vetus est quorundam Philosophorum, qui omnes universi effectus fato tribuebant, idq; in quadam connexionem & ordine causarum universi constituebant, a quibus omnia ex necessitate provenire aiebant, teste Cicerone lib. 1. de Divinatione, & Laertio lib. 7. in vita Zenonis. Conveniunt ergo omnes hi Philosophi posterioris sententiae in hoc, quod nimirum necessario fatum seu fatalis quadam necessitas, & quidem merito, ut deinceps audiemus: in hoc vero maxime discrepant, quod quidam hinc, alij aliunde fati necessitatem dependere volunt, uti mox dicetur. Tertio jam dicendum de origine ejusmodi fati, ubi variae rursus fuerunt sententiae. Alij enim uti refert Plotinus Ennead. 3. omnino negabant fatum seu dispositionem causarum hujus universi aliunde habere fatalem suam necessitatem quam ex sese. Alij inevitabilem fati necessitatem tribuebant astris eorumq; dispositionibus sive influentijs caelestibus, unde fatum desinebant, teste Alberto 2. Phys. tractat. 2. cap. 19. colligantiam causarum ex astrorum motibus ac vi efficaciam trahentem, & id quidem de actionibus humanis tam bonis quam malis per plurimi accipiebant, adeo quidem ut astris omne dominium in hominis voluntatem tribuerent. Alij ut Seneca lib. 2. natural. quaest. cap. 35. & 36. ut & Plato in Dial. de Rep. fati necessitatem in divina voluntate sola posuerunt, existimantq; Deum necessitate omnes non solum naturales effectus, sed voluntarias etiam hominum actiones.

actiones. Alij deniq; fati necessitatem causis naturalibus secundis quatenus à divinâ reguntur providentiâ, eiq; subsunt, adscribere. Nunc de singulis opinionibus sentiendum quid sit, breviter exponemus. Prima igitur opinio est, non dicam contra religionem, sed contra omnem rationem naturalem, contraq; omnia principia, ac proinde simpliciter repudianda.

Secundam quod attinet, illam propterea rejicimus, quia tollit omnem libertatem arbitrij humani, quod pugnat cum sanâ religione, cum tamen ita philosophandum sit, ne contra Theologia principia pugnemus, oportet enim Ancillam Dominae, non Dominam Ancilla obtemperare. Hujus farinae tertia etiam est, nam & hæc libertatem arbitrij tollit, proinde & hanc relegamus. Quartam & ultimam verò magis consentaneam recipimus, & exinde fatum definimus cum Boëtio lib. 5. de Consolat. prof. cap. 6. inhaerentem rebus mobilibus immobilem dispositionem, per quam divina providentiâ suis quaq; necesse ordinibus, vel ut clarius & rotundius dicamus, est ordo causarum secundarum divinam providentiâ exsequentium. Quarto considerandum quenam fato sint exposita. Occurrunt initio Stoici quidam, non omnes, (cum optimè quidam de fato senserint & neq; Deum fato alligarint, nec libertatem arbitrij sustulerint, uti docet Aug. 5. de Civitate Dei c. 10.) qui ipsum Deum fato subycebant, existimantes Deum ex necessitate natura agere, omnesq; Dei actiones à fato determinari. Sed impia hæc & absurdissima est opinio inq; ipsum Deum injuria, qui enim supremum Eus idq; liberrimum agens posset ab alio superiori regi & necessitari?

Alij non quidem Deum, voluntatem tamen humanam fato exponebant, dicentes hominem aliter agere non posse, quam fatum patiatur. Sed & hæc opinio tolerari nequit, cum absurdum atque impietatum sit feracissima. Hæc enim parit voces illas maxime absurdas & impias hominem fato peccare hoc est non posse non peccare, & ex homine brutum facit, proinde & hanc velut cum orthodoxâ nostrâ religione pugnantem seridè aversamur atq; detestamur. Ultima sententia verior est quæ dicit fatum Dominium suum exercere in effectibus naturalium tantum causarum, ad quos neq; angelica neq; humana creatura sua libertate ullo modo concurrat. Exinde igitur quintum exurgit, quomodo scilicet vel quatenus fatum in scholâ Christianâ ferendum, si nimirum ut ex precedentibus apparet, aliud nullum intelligamus quam quod constitutum est in dispositione causarum naturalium, quatenus divina providentiæ subsunt, & juxta ipsius præordinationem vel permissionem ac præsci-

entiam

ontiam infallibiliter operantur. Vltimò tandem sancti Patres idè à fati ap-
pellatione abhorruerunt, quod per eam Philosophi plerunq; fatalem necessitatem
ex astris pendentem, eamq; ex sese & in sese absolutam intellexerant.
Hæc ergò ratione nomen fati non est à nobis absolutè usurpandum, si quis au-
tem corrigendo significationem eo uti velit, non est cum illo contendendum:
correctio autem talis est, ut nomen fati solum significet seriem causa-
rum secundarum divinæ providentiæ subiectam, quæ illis
necessitatem non imponit, sed unamquamq; modo
proportionato agere sinit.

SOLI DEO GLORIA.



AD

ORNATISSIMUM
ET DOCTISSIMUM DN. RESPON-

dentem Amicum plurimum colendum, publicè
de Fato dissertantem.

Sicisnè, FABER, fabros tractare fabrilia ? præ se
Ætheriasq; artes spernere, scisnè, fabros.
Si Phisicos firpos, si condita sensaq; FATI
Eruis ingenij luce sagace FABER,
Num tractasse rear Fabrum fabrilia ? nonne
Cancellos FABRVM transilisse, rear ?
Exerro, exerratq; omnis qui talia secum
Voluit, & te officij non memorem esse putat.
Maute animo, CASPARE, tuo, sic ibis ad astra, &
Nomen ab æterna posteritate feres.
Immò brevi dicam, si Parca tri formis elenchos
Quos vitæ scripsit, fata beare volent,
PRÆCLARVM ILLE SVI PATRIS MEMORABILE FAMÆ
VIRTVTISQVE AMPLE TOLLET AD ASTRA DECVR

M. Iohannes Wilkofer
Ratisponensis Ὀλίγας εἰνεκα ἐχέδιατε.


ALIVD

Danda Repertori quin soli gloria rerum,
Qui rerum fruitur cognitione, sonat?
ille

Ille futurorum qua proxima causa scientis
Ad sua convertit jura quod orbis habet.
Hic, cui sedulitas, & rerum fervidus usus
Scire dedit multum, discere plura cupit.
At quatinam cunctas partes accedere posset
Natura: nil quod conquereretur erit.
At quoniam circum praecordia frigidus obstat
Sanguis; & obtusa mente tuetur eam:
Qualicet inquirat, percontaturq; talentum
Mirator rerum, notitiamq; sitit.
Tu quoq; Casparus magnus juvenilibus ausis
Fortuna & Casus discere, quid sit, amas.

Tuus ut Suis.

Christianus Clee Chem-
nico-Mytus.



94 A 7380

ULB Halle 3
004 073 428



Jun 1899
AD 17


57




HOL
DIS

Diso
Witte





48 1/2



DISPUTATIO PHYSICA
**DE FORTV-
NA ET FATO.**

*Christo Duce & Auspice Christo
Publico Philosophantium con-
fessui proposita,*

Præside,

M. ERASMO ZOLNERO
Ratisbonensi,

Respondente

CASPARO FABRO,
Delitiano.

*Ad diem 30. Aprilis horis à sext à matutinis
in auditorio majori.*



VVITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.
ANNO M. DC. VIII.

Erasmus Zolnerus Viro Doctissimo M. Erasmio

Brevia
excidi
tur de
Babyl
m. ann
cip. Ja
Afaria
f. 101.3
on in e
ad Hag
l. c. th
rd. T.3
Zach.
B. Ja
Et. de
de no
xtorf
miscell.
18. seq
Pontif
oseph
na L.
q. Ga
al. A.
e c. 77.
neopl
riã, c
us, su
tuã n
HO
in ser